

Unde visitare potest episcopus sine adjunctis corpus ecclesiae cathedralis, sacramenta, reliquias, vestes, ornamenta caeteraque ad cultum divinum destinata. Item capellas, capellanas, dotationes, anniversariorum institutiones, memorias defunctorum, pia opera et res seu bona fabricae vel ecclesiae. Sic Sac. Congr. Concil. apud *Barbosam* in summa apostolic. dec. verb.: Visitare quando et quae episcopus valeat n. 17.; *Armendar.* lib. 1. tit. 6. de visitat. n. 133. Nec potest capitulum cathedralis se eximere ab hac visitatione praetextu exemptionis et praescriptionis immemorabilis. Sac. Congr. Concil. in *Hispalen.* Jurisdictionis 4. Jun. 1699 et 4. Maji 1690 apud *Monacell.* tom. 1. tit. 6. formul. 2. n. 27.

d) Decreta in Visitat. lata.

Vd.: *Supplect.* (Renovat., decr. diei 12. Apr. 1710), *Visit. eccles. par. et cur. regul.* (decr. diei 29. Jul. 1628), *Visit. Episcopi* (Jus et Oblig. decr. *Pacen.*); *Visitatio* (decreta.)

e) Delegatus.

Vd.: *Visitat. Episcopi.* (Obligat.); *Capituli.*

Episcopi alique superiores non solum possunt sed etiam tenentur per se ipsos, aut si legitime fuerint impediti, per vicarios suos vel visitatores, qui Presbyteri sint vel Diaconi, singulis annis, aut si ob latitudinem fieri nequeat, saltem quolibet biennio totam Dioecesim et ecclesias ejusdem visitare: *Communis*, claris Juribus in can: *Decrevimus* 10. caus. 10 qu. 1. ibi: Decrevimus, ut annuis vicibus ab episcopis dioeceses visitentur, can: *episcopum* 11. eadem caus. et qu. ibi: Episcopum singulis annis ire oportet, ut acquirat, etc. Quod si ipse aut languore detentus aut aliis occupationibus implicatus id explere nequiverit, Presbyteros probabiles aut Diaconos mittat, qui redditus Basilica-

rum et ministrantium vitam inquirant. Et concil. tridentin. sess. 24. de ref. cap. 3. ibi: Patriarchae, primates, metropolitani et episcopi propriam dioecesim per se ipsos aut, si legitime impediti fuerint, per suum Vicarium, generalem aut visitatorem, si quotannis totam propter ejus latitudinem visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem, ita tamen ut tota biennio per se vel per visitatores suos compleatur, visitare non praetermittant.

Si episcopus visitare velit ex decreto sess. 6. cap. 4. de reformat. debet id personaliter agere; secus si ex aliis concilii decretis, cum id per suum Vicarium generalem aut visitatorem facere possit, si modo legitime impeditus fuerit, ut permissum est sess. 24. cap. 3. de reformat. etiamsi de visitandis exemptis ageretur, cum dict. cap. 3. exemptiones tollat. Sic decisum fuisse a sacra Congr. Concil. testantur *Aldan.* in compend. canonie. resolut. lib. 1. tit. 7. n. 2., *Barbosa* in summa dec. apost. verb.: visitatio n. 18. et supra Concil. sess. 6. de reformat. cap. 4. n. 4 et n. 17., ubi cum aliis videtur tenere, quod possit episcopus etiam per delegatum visitare capitulum cathedralis et adducit decretum sac. Cong. Concilii in Toletana, ubi resolutum fuit, serenissimum Cardinalem Infantem archiepiscopum Toletanum non teneri per propriam personam capitulum ecclesiae cathedralis visitare, sed id agere posse per coadministratorem.

f) Dierum numerus.

Vd.: *Visitat.* (tempus).

Conquerente apud sac. congregatorem capitulo collegiatae ecclesiae terrae Terlitii, quod episcopus, qui jus visitandi cum archipresbytero ejusdem terrae cumulativum habere dici-

tur, ad visitationem solus accedens moram ibidem per quadraginta continuos dies visitando traxerit nec visitationem ipsam, dum discessit, adhuc explevisse declaraverit, quodque a capitulo dumtaxat procuratorem tanti temporis in magna quantitate ducator. 80 exegerit, tametsi alias plures ecclesias, confraternitates, oratoria, beneficatos et loca pia visitaverit. Sacra congregatio super exposito episcopi informationem de more exquisivit.

Episcopus igitur refert, quod praedecessoris exemplo innixus ad visitationem solus accessit et in dicta terra Terlitii quadraginta dies transegit nec visitationem integre perfecit, nam ibi a multo tempore nulla visitatio expleta fuerat et capitulum ipsum ad reddendum nonnullorum capitalium distractorum rationem coactum pro documentis in re satis antiqua perquirendis tempus rogavit; procuratorem vero a solo capitulo recepisse, sed in cibariis dumtaxat, quia et antecessori suo ab illo pariter praestita fuerant. Super infrascriptis itaque dubiis EE. VV. hodie statuendum superest:

I. An visitatio durare debeat arbitrio visitoris seu potius praescribendum sit certum et determinatum tempus?

II. An constet de excessiva procuratore, quae veniet restituenda?

III. An procuratio sit praestanda a sola collegiata Terlitii vel per tributum ab omnibus aliis ecclesiis et locis piis visitandis? Et quatenus per tributum,

IV. An et a quo sit facienda repartitio seu exactio?

Sacra Congregatio die 23. Jan. 1706. respondit

ad I.: Affirmative quoad primam partem ad formam concilii et negative quoad secundam;

ad II.: Negative;

ad III.: Negative quoad primam partem et affirmative ad secundam;

ad IV.: Faciendum esse a capitulo et in casu controversiae ab episcopo visitatore et amplius, ut in lib. 56. decr. pag. 25.

Ad dub.: An episcopo visitanti possit praefigi numerus dierum, quibus permanere debet in visitatione loci visitandi?

S. C. C. resp.: Arbitrio et conscientiae episcopi ad formam concilii et ad mentem.

Die 16. Jan. 1721.

S. Marci ad 6.

Ad dub.: Per quod tempus in locis visitandis sint Episcopis praestanda virtualia?

S. C. resp.:

Per episcopum celeriter visitationem esse absolvendam et ad actus extraneos non esse divertendum.

Die 14. Dec. 1654.

g) In quam Ecclesiam primum ingredi debeat?

Vd.: *Visit. Ep.* (A qua Ecclesia etc.)

Ad dub.: I. An in primo solemniter ingressu teneatur archiepiscopus accedere ad Ecclesiam majorem vel ad Ecclesiam sibi benevisam ad recipiendam obedientiam ab universo Clero Terrae Vasti?

II. An in reliquis visitationibus, in quibus vult exigere obedientiam ab universo Clero, teneatur eam recipere in ecclesia majori vel alia sibi benevisa ejusdem loci vel quatenus in uno vel in utroque ex dictis casibus teneatur accedere ad ecclesiam majorem?

S. C. C. resp. ad 1 et 2: Arbitrio archiepiscopi in casu de quo agitur.

Die 25. Jan. 1721.

h) A qua Ecclesia incipienda?

A qua Ecclesia inchoanda sit visitatio remittitur arbitrio Episcopi. Licet enim visitatio ut plurimum soleat inchoari ab ecclesia cathedrali id tamen non est de praecepto, cum possit episcopus inchoare ab Ecclesia, quae sibi magis placuerit, reservatis juribus et sine praejudicio aliarum Ecclesiarum. Sic sac. Congr. Rit. in Egitanien 10. Jun. 1602. in respons. ad 2 dub. ut ex aliis refert *Ventriglia* prax. t. 2. annot. 24. §. 1. n. 26., *Barbosa* in Summa verb.: Visitatio n. 1., *Monacel.* tom. 1. tit. 5. formul. 2. n. 26.

i) Episcopo impedito per Delegatum facienda.

Vd.: *Visitatio Capituli* (Episcopo impedito); *Visit. Ep.* (Delegat., Subdelegat.)

Ordinarium volentem visitare in vim c. 4. S. 6. teneri per se ipsum, volentem autem visitare ex c. 3. S. 24. posse per suum generalem vicarium aut visitatorem, si tamen legitime impeditus fuerit.

S. C. C. die 12. Mart. 1593. *Hispal.* (Ex L. VII. decr. p. 98. rel. a Bened. XIV. de Syn. dioec. XIII. 9.)

k) Episcopus praedicare debet.

Episcopus in visitatione tenetur praedicare verbum Dei, per se aut saltem per alios; alias, nisi legitima causa excusetur, ipsum peccare mortaliter, ex Cajetano, Genuenst, Gavanto, Abbate et Piasecio firmat *Monacell.* t. 1. tit. 5. formul. 1. n. 51. adducens ad id text. in cap.: *Placuit* 10. q. 1. et cap. 1. §.: *Sane* de censibus in 6. et concludens, quod quomodo se excusent coram Deo tot Episcopi qui nihil prorsus curant de hoc in visitando, ipse Deus scit.

l) Interrupta.

Episcopum differre posse servatis finibus moderati et prudentis arbitrii visitationem inchoptam, si fuerit impeditus.

S. C. C. die 19. Dec. 1739. *Gerund.* ad III. (Conc. Tr. S. 6. c. IV.)

m) Jus et Obligatio.

Vd.: *Visitat. ecclesiae exemptae*; *Visitatio* (jus.)

Ad dub.: 1. An ultra Visitatorem delegatam competentem episcopo Anglon. in ecclesia abbatali competat eidem Episcopo jus faciendi visitationem localem et personalem aliarum ecclesiarum et cleri terrae Carbonis auctoritate ordinaria vel potius competat Emo Abbati?

2. An cumulative vel privative?

S. C. resp.

Ad 1.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.

Ad 2.: Cumulative ad formam Clusinae.

Die 28. Mart., 16. Maii. 6. Junii 1716; 16. Jan., 30. Jan. 1717.

Ordinarium volentem visitare in c. 4. S. 6. teneri per se ipsum, volentem autem visitare ex c. 3. S. 24. posse per suum generalem vicarium aut visitatorem, si tamen legitime impeditus fuerit.

Die 12. Mart. 1593. *Hispal.* (Ex L. VII. Decr. p. 98. rel. a Bened. XIV. de Syn. dioec. XIII. 9.)

Visitare potest Episcopus *jure deleg.* beneficia curata monasteriis perpetua unita, monasteria et abbatias commendatas,*) in quibus non viget regularis observantia, et demum beneficia curata et non curata saecularibus et regul. qualitercumque commendata et eorum

Vd.: *Visit. Commendatarii.*

membra, quoties in illis non servetur regularis disciplina.

Die 23. Jun. 1725. *Lycien* §. *Pluribus.*

Ad dub.: An episcopus s. Marci possit per seipsummet quotannis visitare omnes Ecclesias omniaque loca suae Dioecesis et an intra annum possit plures facere visitationes?

S. C. C. resp.: Affirmative quoad primam partem et quoad secundam pariter affirmative sed absque ulla procuracione.

Die 16. Jan. 1722.

Bononien.

(Conc. Tr. C. 8. Sess. 7. De refor.)

In civitate Bononiae, quam, ut caeteri praetermittantur, summi ipsi romani Pontifices vocare non dubitarunt antiquissimam studiorum matrem, commune bonarum artium domicilium et disciplinarum emporium, uti legi potest in literis apostolicis Leonis X. impressis apud *Dulcinum de Vario Bononiae Statu* lib. 6. p. 292. et in constit. 69. §. 1. inter eas Pii IV. Bull. t. 2 et in constit. 67. §. 7 inter eas Clementis VIII. Bull. tom. 3. Xystus Papa V. Collegium fundavit pro quadraginta ex Provincia Marchiae Scholaribus eidemque elargitus est annuos redditus, privilegia et exemptiones, de quibus in sua Constit. 89. Bull. tom. 2.

Hic idem Pontifex huic suo collegio nonnullas Ecclesias tunc vacantes concessit et assignavit, incorporavit, applicavit et appropriavit, itaut nedum collegii rector et scholares realem et actuale illarum possessionem ingredi sed etiam eas retinere, regere administrare et earum fructus et emolumenta in suam utilitatem et necessitatem convertere possent necnon illis deservire facere per presbyteros

saeculares vel de superiorum suorum licentia cujusvis ordinis regular. idoneos juxta statuta desuper edenda ponendos et amovendos dioecesanorum locorum vel quorumvis aliorum licentia desuper minime requisita, uti legitur in Bulla mox allegata §. 6.

Super harum Ecclesiarum visitatione anno 1692 exorta est controversia inter eminentissimum civitatis Bononiae archiepiscopum et eminentissimum tunc temporis collegii Protectorem, contentente hoc non posse ab illo expleri visitationem ecclesiarum ullo modo cum exclusione etiam juris delegati, cumque sac. haec congreg. tunc censuerit esse exquirendum votum Rotae, nec ab inde citra aliquid gestum sit et eminentiss. Card. Bononiae archiepiscopus in postrema relatione suae ecclesiae, quam post personalem visitationem sacrorum liminum juxta morem sac. huic exhibuit congregationi, nedum statum praedictae controversiae exposuerit, sed etiam hoc intermedio tempore ad suas manus dixerit devenisse ipsius collegii constitutiones editas a clar. mem. Alexandro Cardinali Montalto, primo ejus protectore, et in forma specifica confirmatas ab eodem Xysto V., quae favorabili resolutioni dubii alias propositi ita prodesse ipsi visae sunt, ut ad controversiae resolutionem procedi possit absque voto Rotae alias ab hac sac. congregatione requisito post mutua officia hinc inde, hoc es inter memoratum eminentiss. archiepiscopum et praesentem eminentiss. collegii protectorem praemissa, dubium ad calcem hujus restrictus referendum in hac sac. congregatione examinandum proponitur.

Tria vero sunt fundamenta, quorum ope eminentissimus archiepiscopus putat se posse ecclesias collegio unitas *jure delegato* visitare. Primum est, *quia episcopus tanquam sedis apo-*

stolicae Delegatus potest visitare Ecclesias saeculares exemptas juxta caput 8. sess. 7. de reform. etiamsi Ecclesiae saeculares exemptae essent commendatae et sive illis imminet sive non cura animarum, juxta cap. 8. sess. 21. de ref.

Secundum est, quod in allegatis constitutionibus Card. Alexandri Montalti statuitur, quod Sacerdotes desertientes Ecclesiis Collegio annexis omnia obsequia Ordinariis impendant in iis, quae exempti per decreta s. Concilii Tridentini facere tenentur, hinc inferendo ad visitationem, quam Sacerdotes saeculares in suis Ecclesiis licet exemptis admittere tenentur ad tramites Tridentini in locis allegatis.

Tertium tandem est, quod visitandi facultas ita pertinet ad Ordinarium ut etiamsi in fundatione alteri concessa esset, non per hoc tamen exclusus censetur Episcopus, cui tantum expressa prohibitio praejudicare potest juxta resolutiones hujus sacrae Congregationis, de quibus apud Ludovis. decis. 8. per tot.

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere:

An Emmus Archiepiscopus jure delegato Ecclesias unitas et annexas Collegio Montalto visitare possit in casu?

S. C. C. resp.: Affirmative et amplius.

Die 2. Oct. 1721.

Episcopus debet per se ipsum legitime non impeditum dioecesim visitare singulis annis et si propter ejus latitudinem non possit visitare totam quotannis, debet saltem toto biennio per se vel suos visitationem complere. Sic expresse Concil. Trid. sess. 25. cap. 3. de reform.

Vd.: *Visit. Ep.* (per Deleg.); *Capituli*.

Episcopus per se ipsum visitationis munus peragere tenetur non autem per Substitutum, nisi legitimo impedimento infirmitatis vel hujusmodi praepediatur. Sic enim praecipit Trid. S. 24. de ref. c. 3.: „per se ipsos, si legitime impediti fuerint per suum general. Vicarium aut visitatorem.“

Idque jure optimo cautum fuit, quoniam uberes visitationis fructus majori ex parte evanescent, quando praelatus ipse oculari inspectione singula non perlustrat nec ore proprio exhortationis et ordinationis verba pronuntiat. Ita Pax Jordanus vol. 2. l. 7. tit. 1. n. 30. de gener. visit.

Idem: „Limita quando non esset tanta necessitas visitandi per se ipsum omnes parochias, posset enim per alium discretum virum, etiamsi non esset alias legitime impeditus, eas visitare.“ Unde Innoc. in c.: Romana n. 2. ad medium de consul. in 6: „Plene, inquit, visitatum intelligimus, licet aliqua parochiae remaneant invisitatae personaliter, quia forte in illis non est necessario visitatio vel sufficit, si fiat per aliam discretam personam.“ Ibid. n. 36.

Pacen.

(Conc. Tr. C. 6. S. 25. De ref.)

In antecedenti Congregatione tria tantum dubia proposita et resoluta fuerunt, nempe ad primum, quo quaerebatur:

An Episcopus Pacen. seu visitator ab eo deputatus visitando Ecclesiam Collegiatam de Zafra, tam jure ordinario quam jure delegato ad formam concordiae possit non solum decreta et ordinationes opportunas facere, sed etiam completa visitatione ipsi jurisdictio competat pro eorumdem decretorum et ordinationum executione ac observantia seu potius spectet ad abbatem in casu? Res-

ponsum fuit: „affirmative in omnibus juxta modum; modus est, quod Episcopus Pacen. visitans per se ipsum vel per alium possit semper et quandoque etiam extra visitationem exequi et observari facere sua decreta in visitatione facta et abbatem teneri exequi et observare facere eadem decreta et tanquam merum exactorem cogere suos subditos ad illa observanda et exequenda etiam juris remediis.“

Ad secundum, quo disputabatur: *An Episcopus seu illius visitator possit compellere conservatores librorum ad transportandos libros administrationis mensae capitularis, legatorum piorum, beneficiorum, capellaniarum, ad domum, in qua exstat dictus Episcopus seu dictus visitator, seu potius visitare debeat in archivio et locis ejusdem ecclesiae in casu?* responsum fuit: „quoad primam partem affirmative quoad Episcopum et negative quoad visitatorem; ad secundam partem provisum.“

Ad tertium demum, quo quaerebatur: *An et quomodo possint conficere processus informati super defectibus, excessibus, delictis commissis per Dignitates, Canonicos, Portonarios, Beneficiatos, Capellanos aliasque personas dictae ecclesiae easque corrigere et punire poena correctionali seu poenitentiis in casu?* Responsum fuit: „Affirmative et debere procedere extrajudicialiter.“ Dignabuntur itaque in praesenti, praevia reasumptione folii tunc distributi, reliquis infrascriptis dubiis prout caeteris aliis causis ob temporis angustiam, tunc non propositis, sapientissime de more respondere:

IV. *An reperti culpabiles teneantur ad satisfaciendum mulctae et poenae correctionali ac an nomine poenae*

correctionalis intelligatur carceratio, reclusio, mulcta pecuniaria et suspensio a Divinis in casu?

V. *An Episcopus seu ejus visitator teneatur dictos processus informativos abbati consignare seu ejus officiali vic. gener.? et quatenus affirmative,*

VI. *An Episcopus seu illius visitator possit dicto abbati ejusque curiae terminum competentem praefigere ad compilandos processus super criminibus in forma juris et reos ad condignam poenam condemnandos in prima instantia, quae abbati competit ex forma concordiae in casu?*

VII. *An Episcopus Pacen. possit tam in visitatione quam extra formare processus super crimina concubinatus alicujus vel aliquarum personarum d. ecclesiae et quas culpabiles repererit punire et in dictis causis pronuntiare privative quoad abbatem vel potius cumulative vel potius cognoscere de dicto delicto spectet ad abbatem privative quoad Episcopum in casu?*

S. C. C. resp.

Ad quartum: affirmative in omnibus, dummodo carceratio sit ad breve tempus et ad mentem; *ad quintum:* esse in facultate Episcopi et ad mentem; *ad sextum:* affirmative prout de jure; *ad septimum:* iterum proponatur.

Die 15. Jan. 1729.

Lancianen.

Pastoralis officii partes impleturus Archiepiscopus Lancianensis s. dioecesis suae visitationem tam localem quam personalem indixit aggressusque fuit anno 1732; quia vero adversa valetudine et aliis gravioribus distentus curis utramque eo anno explere nequivit, ut coeptum opus subinde perficeret, intermissae visitationis

initium a Terra Castrinovi sequenti anno 1733 adoriri decrevit.

At quidem ecclesiastici dictae terrae nimirum Sacerdotes Petrus Crognale, Petrus de Fario, Julianus Crognale, Benjaminus Virgili et Clericus Antonius Caporale sub obtentu, quod Archiepiscopus ob peculiare fortasse odium contra ipsos conceptum, extra generalem visitationem personaliter eos visitare vellet, nomine totius Cleri ejusdem terrae supplicem huic s. Congregationi porrexerunt libellum, quo postularunt, ut praeciperetur Archiepiscopo, ne personali visitationi extra generalem eos subiceret. S. autem Congregatio die 18. mensis Julii 1733 rescripsit: Audiatur Archiepiscopus, non retardato tamen exercitio facultatis procedendi ad formam s. Concilii Tridentini.

Usi non sunt praefati Ecclesiastici hoc rescripto; quocirca Archiepiscopus praepositi tenax die 16. subsecuti mensis Augusti ad Valvas Ecclesiae Matricis Terrae Castrinovi Edictum affigi curavit visitationem localem et personalem pro die 21. ejusdem mensis indicens; et licet ab hac indicta visitatione memorati Ecclesiastici praemissa protestatione eidem Archiepiscopo intimata ad hanc s. Congregationem appellare profiterentur, attamen ejusmodi appellatione in devolutivo tantum admissa laudatus Praesul ad Terram Castrinovi statuta die se recepit; quo perventus, dum s. actionem caeteris jam servatis ritibus ab osculo Crucis auspicatur, quidam Notarius elata voce aliam legere coepit protestationem, in qua, iterum nomine totius Cleri, Archiepiscopus veluti suspectus evulgabatur. Ipse autem exinde nequaquam perterritus, debitam sibi in eo actu obedientiam a reliquis omnibus Ecclesiasticis praeterquam ab iis quinque superius re-

censitis praestitam fuisse animadvertens jussit istos peculiariter citari ad comparandum seque personali visitationi subiacendum sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae.

Verumtamen, cum eadem die Cursor retulerit eos invenire minime potuisse, satis tunc duxit Archiepiscopus uti opera duorum Sacerdotum, qui reluctantes amicis cohortationibus ad parendum studerent adducere, sed hisce diligentis in irritum cessis nova citatio die 22. praefati mensis Augusti per Edictum ad Valvas Ecclesiae parochialis affixum necnon per consuetam copiam in manibus Domesticorum dimissam executam est, qua dicti quinque Ecclesiastici moniti fuere ad parendum personali visitationi pro die 24. ejusdem mensis sub poena excommunicationis alias comminatae, adeout, nisi ea die comparuissent, statim post solis occasum veluti a communione Fidelium omnino separati et ulsi haberentur.

Antequam praestitata dies 24. Augusti cessisset, appositus fuit sub memorato Edicto ad valvas Ecclesiae affixo tenor alterius protestationis, qua Domestici sive Consanguinei Citatorum allegantes eorum absentiam postulabant concedi terminum, ut certiores de praedicta citatione fieri possent, quo durante, proclamabant, ad aliquem actum contra illos sub poena nullitatis procedi non posse; sed, ista quoque protestatione ab Archiepiscopo neglecta, res tandem eo devenit, ut saepedicti Ecclesiastici se censuris illaqueatos probe agnoscentes primo ad s. Congregationem Episcoporum et Regularium, deinde vero ad A. C. in criminalibus recursum habuerint, cumque ab isto impetrassent monitorium, quo injungebatur Archiepiscopo, ut intra tres dies si et quatenus paruerint per personalem comparationem,

eos absolveret ad tres menses, alioquin a simplici Confessario absolvi possent, inde factum est, ut die 17. Septembris praefati Sacerdotes, praesentato in Curia archiepiscopali dicto monitorio, absolutionem ab Archiepiscopo postulaverint; qua sibi tunc denegata, paulo post sub obtentu, quod ipsam reportassent a Presbytero Epiphania de Martinis, sacrosanctum missae Sacrificium palam celebrare coeperunt.

Quod quidem cum accepisset Archiepiscopus, die 21. Octobris publico edicto eos irregulares declaravit.

Verum quia interea temporis nimirum die 26. praecedentis mensis Septembris ob instantiam nomine Archiepiscopi in Urbe promotam causa fuerat ab Eminentissimo Pro-Auditore Sanctissimi ad hanc s. Congregationem remissa, praetenderunt dicti Sacerdotes veluti Attentatorum vitio laborantem praefatam Archiepiscopi declarationem fore circumscribendam, cujus petitionis judicium cum a praelaudato D. Cardinale Pro-Auditore s. huic Congregationi commissum fuerit, postmodum ad preces eorumdem Ecclesiasticorum datae sunt literae Archiepiscopo demandantes: ut non retardata interim visitatione et executione decretorum ejusdem visitationis, acta de quibus agitur, soluta per instantes competenti mercede cancellario, transmittat.

Hisce itaque receptis literis denuo praecepit Archiepiscopus, citari praefatos Ecclesiasticos ad comparandum personaliter pro eorum visitatione personali sub poena pecuniaria; cumque huic pariter praecepto citati minime paruerint, tandem Archiepiscopus, post expeditum contra ipsos mandatum pro executione comminatae multae, acta ad s. Congregationem ex officio transmisit.

Cum igitur ex his omnibus desumpta fuerit occasio disputandi inter partes

infrascripta dubia, placeat Eminentissimis VV. respondere:

I. An licuerit Archiepiscopo Lancianen. die 16. Augusti anni 1733 indicare visitationem localem et personalem in Terra Castrinovi in casu?

II. An comminatio censurarum in edicto diei 22. Augusti ejusdem anni arctaverit Sacerdotes Petrum Crognale, Petrum de Fario, Julianum Crognale, Benjaminum Virgili et Clericum Antonium Caporale, itaut citra incursum in excommunicationem potuerint resistere visitationi? et quatenus negative quoad secundam partem,

III. An censurae sustineantur in casu?

IV. An post obtentam absolutionem ab excommunicatione per Sacerdotem Epiphanium de Martinis, rite et citra incursum in irregularitatem potuerint celebrare in casu?

V. An constet de Attentatis commissis in spretum decreti Eminentissimi Pro-Auditoris Sanctissimi, itaut sit locus eorum purgationi et respective circumscriptioni sententiae declaratoriae incursum in irregularitatem per Archiepiscopum latae contra eosdem Ecclesiasticos in casu?

VI. An multa pecuniaria contra eosdem Ecclesiasticos lata die 7. mensis Decembris anni 1732 sustineatur in casu?

S. C. resp. ad 1: Affirmative et amplius;

ad 2: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, et amplius;

In reliquis: Dilata et Episcopus omnino procedat ad visitationem et S. C. certiorret.

Die 11. et 27. Sept. 1734.

Leo PP. XII.

Quae quidem formidanda sententia, ut jam plane nostis, non eos solum percellit, qui personaliter residere negligunt vel inani aliquo praelexu eam effugere student, sed illos quoque, qui visitationis onus suscipere atque exequi secundum canonicas praescriptiones immerito recusant. Nunquam enim Tridentini decreto satisfaciunt, nisi personaliter ad oves accedere curent et instar boni Pastoris bonas foveant, errantes vero quaerant et ad ovile, qua fortiter qua suaviter clamando et agendo, tandem aliquando perducant.

Qui vero Episcopi vel residentiae vel visitationis praeceptis non ea, quae decet, sollicitudine parere nituntur, supremi Pastoris Salvatoris Nostri tremendum non evadent iudicium causando, haec munera se per idoneos ministros obiisse.

Ipsismet enim, non ministris, gregum suorum cura concredita est: Ipsis peculiaris Spiritus sancti gratia: Ipsis et charismatum dona fuere promissa. Ex quo fit, ut oves proprii Pastoris multa libentius quam a Vicarii manu salubria alimenta fiducialius petant ac laetiori animo suscipiant, tanquam a manu Domini, cujus in Episcopis suis venerantur personam; quae omnia, praeter hactenus dicta, ipsa etiam rerum magistra experientia satis superque confirmat.

Die 3. Maii 1824.

(Anal. J. P. 1852 pag. 519.)

Episcopum Novarien., antequam ad Ecclesiam cathedr. solemnem ingressum facit, posse ad visitationem Ecclesias s. Gaudentii Novariae procedere non obstantibus quibuscunque. n. 3190 die 30. Julii 1689.

Ad dub.: An capellae dependentes ab Abbate Collegiatae Terrae Laureti Pennen. possint jure ordinario vel delegato visitari per Episcopum? S. C. resp.: affirmative jure Delegati. n. 3823 ad 5 die 22. Mart. 1710.

Benedictus PP. XIV.

Cum in omni rei domesticae cura nihil sit utilius, quam si ipsemet Paterfamilias omnia frequenter inspiciat suaeque vigilantia suorum industriam et diligentiam alat, propterea vos Fratres (Episcopos) monemus et hortamur atque etiam vobis injungimus ut Ecclesias et dioeceses vestras, nisi gravis et legitima interveniat causa, quae aliis id committi postulet, vos ipsi visitetis, vos ipsi oves vestras et pecoris vestri vultum agnoscatis. Formidinis sane ac terroris plena est certissima illa sententia, non admitti pastoris excusationem, si lupus oves comedit et pastor nescit. Multa vero ignorabit Episcopus, multa eum latebunt vel saltem serius, quam oporteret, intelliget, nisi ad omnes suae dioeceseos partes se conferat et nisi per se ipsum ubique videat, ubique exploret, quibus malis medicina facienda sit et quaenam fuerint eorum causae, quae ratione occurrere etiam providenter queat, ne sublata reviviscant. Praeterea cum ea sit humanae imbecillitatis conditio, ut in agro dominico, cujus cultura commissa est Episcopo, sensim crebres et spinae ac noxiae inutilesque herbae surescant, certe, nisi ad eas amputandas cultor crebro redeat, ille ipse nitor vigiliis ejus laboribusque jam partus progressu temporis deflorescet.

Sed neque etiam satis est lustrari a Vobis dioeceses et opportunis praecceptionibus vestris curationi earum posse prospectum: restat ad illud enixe perficiendum a Vobis, ut quae

in visitationibus constituta fuerunt, vere in effectum perducantur. Idque potissimum per iteratas visitationes estis assecuturi. *Epistola Bened. XIV. ad episc. 3. Dec. 1740.* (Bull. r. t. XVI. p. 4.). *Epistola Leonis XII. die 3. Maii 1824* (Collectio general. archid. Monacens. Frising. I. 118.)

Moniales debere initio visitationis episcopum sub baldachino sedentem revereri cum genuflexione et ab eo singulas accipere benedictionem. n. 1994 die 19. Jul. 1659.

In visitatione ecclesiarum civitatis et dioecesis in omnibus servanda esse ea, quae praescribuntur in Pontificali rom. I. III: Ordo ad visitandas parochias. n. 2997 ad 1 die 22. Aug. 1682.

n) Liminum ss. apost. Petri et Pauli.

Vd.: *Visit. Liminum.*

o) Mutua inter episcopos, archiep. et gubernatorem.

Vd.: *Praeses.*

p) Modus.

1. *Index eorum, quae spectant ad episcopum visitantem.*

1. Non modo debet visitare loca et personas, sed etiam praestare, quae sequuntur.

2. Absolvere animas fidelium defunctorum, ut in pontificali.

3. Benedicere solemner populo visitando, ut in eodem pontificali, et cum indulgentiis.

4. Sermonem habere ad eundem populum de visitationis causa, fine, effectibus.

5. Missam celebrare et distribuere sacram Synaxim.

6. Ministrare sacramentum confirmationis.

7. Consecrare ecclesias, altaria, calices, benedicere paramenta et alia pontificalia facere, prout est opus.

8. Invitare quoscunque ad suggerendum opportuna cum charitate et veritate.

9. Non autem sub poena excommunicationis ad revelanda, quae noverint, quod vetuit sacra congr. conc. ult. Martii 1588.

10. Ad extraneos actus non divertere, ut monet eadem sacra Congregatio.

11. Mensa frugali uti adhibita lectione, illud ex Conc. Trid. loc. cit., hoc ex decencia.

12. Cum paucissimis circumire, quorum opera celerius compleri possit visitatio.

13. Itinerarium recitare genibus flexis initio itineris a loco ad locum.

14. Orare vesperi publice in Ecclesia ante refectionem.

15. Visitare infirmos et in pauperes erogare pecuniam ad aedificationem.

16. A muneribus quibuscunque abstinere.

17. Notario suo aut secretario uti ad libitum ex declar. congreg. conc.

18. Procuracionem debitam accipere hoc est, victum illius diei, quo visitat, ex concilio loc. citat.

Annotationes.

Circa 10. Extraneos actus a visitatione intellige, qui neque attinent ad locorum seu personarum visitationem ecclesiasticam, neque ad functiones supradictas pontificales.

Circa 11. Fugiat episc. hospitium laicorum et eorum convivia, ex conc. prov. Mediol. 4.

Circa 12. Expedit, ut episcopus assumat ministros, quos etiam mittere queat ad visitanda minora loca seu ad supputandas rationes dati et accepti ubi opus est; quare inter eos esse poterit oeconomus domus episcopalis,